



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

Prooemium, Mens Auctoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

*P R O O E M I V M,*

*MENS AVTHORIS.*

**V**Erè, & pridem dictum, Ars Artium Re-  
gimen Animarum; quo in negotio pec-  
cari grauissimus error esse posset. Ideoque qui  
eam Artem vult profiteri; videat in primis,  
quam operam in eâ perdiscendâ posuerit,  
quantum profecerit: neque verò facilis, aut  
breuis est ista ars; quam nisi multo studio,  
& longo vsu non comparaueris: quare si  
rudis adhuc, & inexpertus sis; necessarium  
est, eos adeas & audias, qui eam doctrinam  
vel tractârunt ipsi diu, vel aliunde acceptam  
aliis tradiderunt. Scripsere quidem eius-  
modi institutiones, & industrias non pauci;  
sed aliqui confusè, aliqui fusè nimium; qui  
ordine, & methodo familiari, eaque breui,  
fortassis non multi; saltem qui in manus  
meas venerint. Quamobrem à quibusdam  
boni publici studiosis impulsus sum; vt si quid  
variâ multorum annorum lectione, & longo  
vsu obseruâssem, in compendium, breui &  
facili Methodo coniicerem, in gratiam præ-  
sertim eorum, qui ex Scholis, & Seminariis  
ad Animarum Curam primùm emittuntur.  
Obsequor tandem diuinæ gloriæ, & salutis  
alie-

## PROOEMIUM

alienæ desiderio : Conscientiæ casus non explico ; passim habentur libri, qui hos tractent : imò neque omnes officii Pastoralis partes, ductis longè ambagibus, aut periodorum numeris prosequor, longum id fuisset : Praxes quasdam, & Instructiones tum Morum, tum Administrationis rerum sacrarum, tum Conuersationis cum subditis, breuiter trado, non vt eas venditem pro certis Regulis, neque enim eâ Authoritate polleo, sed vt sequaris, si placent ; quamdiu aliquid melius non suppetit.

Accipe, mi Lector, hanc operam meam eâ mente, quâ defero ; breuis sum, vt temporari parcam ; exiguus, vt tuis sumptibus, & labori minus incommodem ; Si non pigebit legere ; fructum vti spero, referemus : Tu tuæ operæ, ego mei Opusculi.

Vtere, & bene viue,  
ac vale.

SVM-